DE

ARTE MEDICA SAECULI XII.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M AUGUSTI A. MDCCCLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PHILIPPUS JAFFÉ

SCHWERSENTIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:


U. HAMM, med. et chir. Dr.

V. KNABE, med. et chir. Dr.

T. NEUBUERGER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.



PATRI

DILECTISSIMO

ATQUE

LUDEWICO JAFFÉ

MED. DRI

ET

SALOMONI JAFFÉ

PATRUIS CARISSIMIS

HUNC LIBELLUM

DESPONDET

AUCTOR.

Historiam artis medicae saeculo duodecimo factitatae qui his in pagellis quaesierint, eorum exspectationem prorsus fateor frustratum iri. Non enim induxeram in animum, aut omnino universa, quae eo pertinerent, in conspectu ponere, aut vel ea, quae disserenda existimarem, in justum illum, quem continua rerum memoria postulat, redigere ordinem. Sed varios saeculi illius libros quum commentationis conscribendae causa percurrissem, neque in pauca incidissem, quae attingere medicinalem saeculi XII artem videbantur, sic res deligere easque componere satis habui, ut et incognita quaedam, et quorum argumenta congruerent inter se, ea conjuncta lectori praeberentur. Quodsi mihi contigerit, ut viri in medica aevi medii arte versati hic illic novi aliquid reperiant, scripsisse hunc libellum me non poenitebit.

Memoratu dignum est, in variis Innocentii II papae (qui administravit ecclesiam ab anno 1130 ad a. 1143) conciliis discere artem medicinalem monachos canonicosque regulares vetitos esse. Cuius interdicti vero causae ab iis, qui adhuc huius artis historiam composuerunt, viris doctis non satis pervestigatae videntur esse. Sprengelius enim affirmat, qua contemptione me-

dici, ideoque sacerdotes quoque medicinam exercentes a medii aevi populo affecti sint, ea ecclesiam ipsam offensam esse; istamque praecipuam consilii illius fuisse materiam. Haeserus quoque (Lehrbuch der Geschichte der Medicin, Jena 1853 p. 272) inter alias causas meminit etiam hanc, pontifices Romanos, ne sacerdotes medicinali occupatione perderent vulgi reverentiam, veritos esse. Attamen tantae medicorum despicientiae documenta non facile, saltem ex saeculi duodecimi literis, afferre poteris. Quin imo ex Anonymi Salernitani de adventu medici ad aegrotum libello, quem Henschelius Vratislaviae anno 1850 e codice saeculi XII in lucem edidit, satis superque apparet, medicos tum temporis minimum pari, ac nostris temporibus, functos observantia honoreque esse. Ut enim alia praetermittamus, auctor libelli haec medico ad aegrum vocato praecipit p. 6: „Cum autem te ad prandium, ut solet fieri, qui domui praesunt, invitaverint, nec te importunum ingeras, nec in mensa primum eligas locum, licet sacerdoti et medico, ut solet fieri, primus accubitus praeparetur."

Primum vero in concilio Claromontensi Innocentius II papa die 18 m. Novembris a. 1130 edixit, deinde in concilio Remensi die 18 m. Octobris a. 1131 atque in concilio Lateranensi die 4 m. Aprilis a. 1139 (Mansi Coll. Concil. XXI. 437, 457, 526) confirmavit canonem hunc: „Prava autem consuetudo, prout accepimus, et detestabilis inolevit, quoniam monachi et regulares canonici post susceptum habitum et professio-

nem factam, spreta beatorum Benedicti et Augustini regula, leges temporales et medicinam gratia lucri temporalis addiscunt. Avaritiae namque flammis accensi se patronos causarum faciunt, et cum psalmodiae et hymnis vacare deberent, gloriosae vocis freti munimine, allegationum suarum varietate justum et injustum, fas nefasque confundunt. Attestantur vero imperiales constitutiones, absurdum, imo etiam opprobrium esse clericis, si peritos se velint disceptationum esse forensium, huiusmodi temeratoribus graviter feriendis. — Ipsi quoque canonici et monachi, neglecta animarum cura, ordinis sui propositum nullatenus attendentes, pro detestanda pecunia sanitatem pollicentes, humanorum curatores se faciunt corporum. Cumque impudicus oculus impudici cordis sit nuncius, illa etiam, de quibus loqui erubescit honestas, non debet religio pertractare. Ut ergo ordo monasticus et canonicus deo placens in sancto proposito inviolabilis conservetur, ne hoc ulterius praesumatur, auctoritate apostolica interdicimus. Episcopi autem, abbates et priores, tantae enormitati consentientes et non corrigentes, propriis honoribus spolientur."

Luce clarius ex planis huius canonis verbis liquet, monachis et canonicis regularibus idcirco studium non artis medicae solum, sed juris civilis etiam interdictum esse, quod quaestum colere pecuniamque sibi facere alienum ab eorum vita putabant esse, qui ad animos moderandos destinati erant. Praeterea de sacerdotibus medicinam factitantibus accessit etiam sollicitudo haec,

haud dubie praegressis observationibus concitata, ne iis munere illo praeberentur occasiones, quibus castitatis officium, „impudico oculo“ irritante, plus iusto periclitaretur.

Verisimile autem est, Innocentium II papam a S. Bernhardo, abbate Claraevallensi, viro tum summae auctoritatis atque amplitudinis, ut illam conderet legem, impulsum esse. Etenim in Opp. S. Bernhardi ed. Mabillonius I. p. 67 et 69 reperiuntur litterae duae, jam ante annum 1130 compositae, quae eius de ea re sententiam aperte demonstrant. Benedictus enim monachus e monasterio Flaviacensi profugus, quum in monasterium Claraevallense receptus esset, idque in malam partem Flaviacenses accepissent, Bernhardus iis rescripsit (ep. 67), Benedictum ideo a sese susceptum esse, quia, de fugae causa interrogatus, hoc responsum dedisset: „Abbas meus habebat me non monachum, sed medicum; cogebat servire, imo ipse serviebat per me non deo, sed saeculo, quando, ne saecularium malevolentiam incurreret principum, mederi me compellebat etiam tyrannis, raptoribus, excommunicatis; quod animae meae periculum cum ei nunc privatim, nunc palam suggessissem, nec profecissem, quorumdam tandem sapientium virorum consilio fretus, fugio meam damnationem.“ Atque quamvis Flaviacenses postea negaverint, Benedictum monachum „suo iussu vel assensu in medicinali arte saecularibus deservisse,“ imo „non compulsum obedientia, sed proprii quaestus cupiditate ac vagandi curiositate, hac illacque artem suam venditantem discu-

currisse“, tamen Bernhardus monachum restituere Flaviacensibus recusavit.

Forsitan ad promulgandum illud Innocentii II. interdictum adiuverit etiam ea consideratio, medicum, si aeger acceptis remediis mortem cum vita commutaverit, mali eventus auctorem videri posse. Ac tenemus re vera Clementis III. papae (qui ecclesiae Romanae praeerat ab a. 1187 ad a. 1191) epistolam, qua canonico cuidam, cui saepius illud malum acciderat, fidele consilium dedit, ne maiores sacerdotii appeteret dignitates. Neque alienum esse videtur, eas literas pontificias ex collectione decretalium secunda in Augustini Tarraconensis Opp. IV. 357 et ex Decret. Gregor. L. I. t. 14. c. 7. integras hoc loco inserere. Scriptae vero his verbis sunt:

„Clemens III. R. Coloniensi canonico.“

„Ad aures nostras, te significante, pervenit, quod quum in arte physica eruditus existas, pluribus iuxta ipsius artis traditionem medicinas cum diligentia tribuisti; licet pluries in contrarium successerit, et quibus putabas adhibere medelam, medicinis perceptis mortis periculum incurrerunt. Verum quia, sicut asseris, ad sacros ordines desideras promoveri et super eo nos consulere voluisti, breviter tibi respondemus, quod, si super praemissis conscientia tua te videtur quomodolibet remordere, ad maiores ordines de nostro consilio non ascendas.“

Hunc R. canonicum Coloniensem, cui aegrotorum curationes infeliciter processerant, eodem loco Clemens

III. papa habuit, quo C. subdiaconum, qui alio modo mortem puero cuidam invitus intulerat. In Baluzii enim Miscellaneis ed. Mansi III. 386 et ap. Mansi Coll. Conc. XXII. p. 572 alia eius pontificis legitur epistola, in qua episcopo cuidam scripsit haec: „Inspectis literis, quas bonae memoriae Urbano, praedecessori nostro, misisti, plane cognovimus, quod perlator C. subdiaconus, dum olim, in minore aetate positus, cum quodam puero ludum exercens, iactu lapidis uteretur, ipsum puerum non studiose, sed casualiter vulneravit, de quo vulnere vix (an: „puer" ?) fuit cura medicorum (agèntes) infra breve temporis spatium, sicut credebatur, plene curatus. Tamen elapso anno vulnus fecit postmodum aperturam; sed quia medicus, qui fuit adhibitus ad curandum circa ipsum, negligentia seu ignorantia vel etiam alia culpa, minus necessariam sollicitudinem creditur habuisse: puer occasione ipsius vulneris exspiravit. Respondentes igitur ad haec, fraternitati tuae mandamus, quatenus eundem (C. subdiaconum) in minoribus ordinibus ministrare permittas, ad altaris vero officium non accedat, qui occasionem morti ejusdem pueri dedisse videtur."

Neque vero praetermitti silentio debet, Alexandrum III papam (ab a. 1159 ad a. 1181) in concilio Turonensi die 19 m. Maii a. 1163 monachis sacerdotibusque etiam docendi et artem medicinalem et jus civile interdixisse munus. Haec enim in huius concilii actis ap. Mansi Coll. Conc. XXI. 1179 leguntur: „Ne sub occasione scientiae, spirituales viri mundanis

rursum actionibus involvantur, et in interioribus eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere, de praesentis concilii assensu huic malo obviantes, statuimus, ut nullus omnino post votum religionis, post factam in aliquo religioso loco professionem ad physicam legesve mundanas legendas permittatur exire. Si vero exierit et ad claustrum suum infra duorum mensium spatium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, et in nulla causa, si patrocinium praestare praesumpserit aut tentaverit, audiatur. Reversus autem ad claustrum, in choro, capitulo, mensa et ceteris ultimus fratrum semper existat, et totius spem promotionis amittat.“ —

Attamen ex hoc quoque canone facile intellexeris, haud recte de medii aevi moribus judicare eos, qui ad vilia negotia a sacerdotibus avertenda putant constitutas illas leges esse, quas id solum spectasse manifestum est, ut viri ecclesiastici ex mente et animo toti munere suscepto religiose fungerentur; sicut neque nostris temporibus sacerdotis medicique partes quisquam facile conjungere posset. —

Inter alias mediae aetatis reprehensiones haec quoque ferri per omnium ora solet, illo tempore superstitione ac miraculorum fide corruptos animos esse. Neque immerito quidem viget haec opinio. Refertae sunt enim illius temporis literae miraculis singularibus insolitisque aegrotorum curationibus per sanctos homines effectis. Dummodo nostra aetas altiore prudentia ius sibi comparasset illarum dierum errores condemnandi

ac deridendi. An qui nunc sunt homines in iisdem quin etiam maioribus insulsitatibus non haerent? Non dico sanctorum reliquias tunicasque adoratas; pietas enim religioque conjuncta cum iis est. Quem vero praeterit, erysipelas et febres intermittentes aliosque morbos per vetulas fatuas ad hodiernum diem apud nos quotidie incantari? Quis non audivit, hoc ipso loco, Berolini inquam, paucissimis abhinc annis puellam astutam singulis diebus fere centenos homines mentita medendi vi lactasse et depeculatam esse? Nonne mensae saltantes modo omnium paene animos perturbaverunt? Vidimus ipsos medicos et alios, qui eruditorum speciem prae se ferunt, viros cum feminis pueris que vultu severo digitisque protensis in idolorum lapideorum modum horis amplius assidere mensis, quumque ipsi mensam sede movissent, novae cuidam arcanaeque naturae legi astupere. Imo de mortuis, nec scio an de morbis curandis quoque, ad mensas ligneas, ut veteres ad Apollinem, referre non erubuerunt. Sane hic Abdera. Nam nostra miracula eo magis ridenda sunt, quia nugis ineptiisque annectuntur, dum ea, quae medio aevo miraculis tributa fides est, excusationis aliquid habet, propterea quod in illis innitebatur hominibus, qui summa pietatis et sanctitatis laude florebant.

Est vero historia dignum, S. Bernhardum, abbatem Claraevallensem († 1153), quem quidem ipsum caecos, surdos, mutos, claudos sola precatione vel crucis signo facto sexcenties sanasse refert memoria illius aetatis, eo asceticae rerum perceptionis pervenisse, ut ordinis

sui socios aegrotantes sollicitaret, ne omnino medicis neve medicamentis uterentur. Ita enim scripsit fratribus ecclesiae S. Anastasii Romanae ad Tres-fontes (ep. 345, Opp. ed. Mabillon I. p. 317): „Ceterum unum quidem a me petiit venerabilis abbas vester, quod mihi minime bonum videtur. Creda autem, quod et ego spiritum dei habeam et consilium dei in hoc. Scio equidem, quod in regione habitatis infirma et multis aliqui ex vobis laborant infirmitatibus; sed mementote, quis dixerit: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Compatior utique, et multum ego compatior infirmitati corporum, sed timenda multo magis ampliusque cavenda infirmitas animarum. Propterea minime competit religioni vestrae medicinas quaerere corporales, sed nec expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, et quae pauperes deceant, interdum aliquid sumere tolerabile est et hoc aliquando fieri solet. At vero species emere, quaerere medicos, accipere potiones, religioni indecens est et contrarium puritati, maximeque ordinis nostri nec puritati. Haec omnia gentes inquirunt."

De istius praecepti severitate iam Mabillonius in Annalibus Benedictin. VI. p. 352 non potuit a se impetrare quin exclamaret: „Haec communem mortalium captum adeo superant, ut homines caelestes fuisse oporteat, qui sic se gesserint." Nec paullulo errares, si aut ordinis Cisterciensis, quem quidem secutus

S. Bernhardus est, socios crederes crudelissimam illam sententiam vere spectasse, aut prorsus ceterorum ordinum viros, quum praesertim Benedictinos sciamus ab ordinis sui institutore jussos esse, ut fratres valetudine affectos diligenter curarent.

Atque eo minus laici vel ipsi principes aspernabantur operam medicorum. Cuius rei tam perspicuae afferre argumenta supervacaneum profecto esset, nisi ex iis, quae commemoraturus sum, exemplis aliae quaedam res efficerentur. Etenim quum illa, de quibus supra scripsi Innocentii II. et Alexandri III. paparum interdicta artis medicae a monachis ac sacerdotibus et discendae et docendae rursus a tertiidecimi saeculi pontificibus Romanis constet renovata esse, conjicere quidem licet, eam legem perrumpi solitam esse; sed omnis eius rei tollitur dubitatio, si Saxonis Grammatici (ed. Müller p. 956) de morte Waldemari I, Daniae regis (defuncti a. 1182), narrationem respicimus. Namque abbas quidam, „medicinae professor", in ea producitur, quamvis id, quod suae artis tum dedit specimen, secus ceciderit; falsa enim prognosi dicta, laudem, qua usque eo floruerat, protinus amisit. „Eodem tempore" inquit Saxo „J o a n n e s quidam religione a b b a s, m e d i c i n a praesumptuosior quam peritior p r o f e s s o r, cuius opi plurimum credebatur, e Scania accersitus advenit. Qui morbo parum prudenter inspecto, sospitatem regi constantius quam verius promittebat. Quem cum cibo, medicinali arte confecto reficiendum curasset, cunctis cubiculo eiectis,

quietem capere iubet. Eundem paulo post sine voce esse compertum, et artuatim sudore suffusum invenit, accuratius operiri praecepit, laetum id profluvii genus ac salutare testatus. Cuius promissum regis obitus secutus, quam parum fidei in medicorum opere reponi oporteat, documento extitit."

Multo gravius autem fuit opprobrium, quod medici Conradi III, Germaniae regis († a. 1152), passi sunt. Ille abbas enim medicinae professor ignorantiae tantum ignominiam reportavit, hi vero, quum rex vita decederet, in terribilem sunt insimulationem vocati, eos Rogerii Siciliae regis, inimicitias cum Conrado III gerentis, largitionibus motos, mortem regi de industria attulisse. Ipse Conradi regis frater germanus, Otto episcopus Frisingensis haec memoriae tradidit in Vita Friderici I L. I. c. 63: „non sine suspicione quorumdam, quos ex Italia habuit, medicorum, quasi ex Rogerii Siculi metu submissorum, morbo corripitur, sicque tamen tanto non fractus infirmitatis dolore, curiam celebraturus Babenberg venit, ubi proxima a capite jejunii sexta feria, id est XV. Kal. Martii, vitam finivit."

De cetero Italici illi, quibus Conradus III usus est, medici sine ulla dubitatione e schola Salernitana exierant. Cuius scholae laudes iam illo tempore permagnas fuisse, hoc unum indicium, si alia deessent, satis superque demonstraret. Atqui servatum nobis est carmen, annis 1162—1164 in aula Reinaldi, archiepiscopi

Coloniensis, compositum, quod summam, qua schola Salernitana tum temporis valuerit, auctoritatem diserte ostentat. Neque in vituperationem me puto venturum esse, propterea quod eos versus, quos Jacobus Grimm in „Gedichte des Mittelalters auf Koenig Friedrich I den Staufer" p. 201 in lucem edidit, hic denuo exscribam. Sunt vero hi:

Archipoeta.

En habeo versus, te praecipiente reversus;
sit (tibi) frons leta, versus recitante poeta.
Laudibus eternum, nullus negat esse Salernum,
illuc pro morbis totus circumfluit orbis.
Nec debet sperni, fateor, doctrina Salerni,
quamvis exosa michi sit gens illa dolosa.
Quid sim passus ibi, nequit ex toto modo scribi.
Jam febre vexatus nimioque dolore gravatus
hic infirmabar, quod vivere posse negabar,
et michi dicebant medici, qui signa videbant:
„Ecce poeta peris, non vives, sed morieris."
Sed febrem tandem medicina fugavit eandem.
Nostri languoris testis tibi sit color oris,
in vultu pallor apparet adhuc, nisi fallor.
Dum sapiens fieri cupio medicusque videri,
insipiens factus sum, mendicare coactus.
Nunc mendicorum socius sum, non medicorum,
nudus et incultus, cunctis appareo stultus,
pro vili panno sum vilis parque tyranno;
nec me nudavit ludus neque fur spoliavit,
pro solo victu sic sum spoliatus amictu,
pro victu vestes consumpsi, dii michi testes. cet.

Sed de Salerno hactenus. Gaudeo autem, quod de Monspeliensi schola medicinali mihi liceat aliquid novi afferre. Quum Astrucius enim (cuius quidem librum: Histoire de la faculté de medicine de Montpellier Par. 1767 adire non licuit), referente Haesero (Lehrbuch der Geschichte der Medicin 1853 p. 902), primam

scholae Monspeliensis mentionem doceat in annum 1153 incidere, non ingrata scientiae amplificatio videtur esse, quod ex Adelberti II archiepiscopi Moguntini (qui eam ecclesiam ab anno 1138 ad a. 1141 regebat) vita, inedita quidem adhuc sed in proximo Monumentorum Germaniae historicorum volumine proditura, eandem scholam comperimus iam viginti ferme annis antea floruisse. Quam quidem notitiam debeo Rogero Wilmans V. Cl., monumentorum Germaniae historicorum socio, qui de ea re liberaliter ad me perscripsit haec: „Vita Adelberti, quam Bethmannus in saeculi XII codice bibliothecae Burgundicae invenit, ab Anselmo (praeposito ut videtur ecclesiae S. Mariae ad gradus Moguntinae ab anno 1124 ad a. 1151) circiter anno 1150 versibus composita est. De Germanicis quidem rebus haud multum ex ea discimus, sed eo magis ad illustrandam literarum historiam valent ea, quae ibi de itineribus Adelberti inveniuntur. Qui enim quum Hildeshemium, Remos, Parisios, Montempessulanum studiorum causa adiret, ipsum Anselmum habuisse comitem videtur, ut is quae memoriae tradidit, ea ipse vidisse existimandus sit. Proponit autem de artis medicinalis studiis Montispessulani exercitis versus fere viginti eosque iucundos, ex quibus viros doctos intelligimus ibi naturae leges viresque salutares explanasse; quamquam, singulis qui Remis quidem ac Parisiis studia rexerunt nominatim indicatis, Monspeliensium praeceptorum nomina reticuit Anselmus. Quae quum ita sint, hoc pro certo affirmandum est, iam anno 1137, quo quidem anno Adelbertus Mon-

tispessulani studia colebat, justam ibi scholam medicinalem fuisse.“ —

Non videtur esse a proposita ratione diversum, si medicum quemdam saeculi XII commemoramus, cuius acta medicinalia quidem in tenebris iacent, qui tamen ideo animum nostrum in se convertit, quod ex ea, quae de Joanne presbytero et rege prodita est, memoria, mea quidem opinione, versutissime fructum ceperit, ipsumque Alexandrum III papam impudenter deluserit. Notum est enim, primum anno 1145, quum altera expeditio Hierosolymitana pararetur, de presbytero illo fabuloso famam in Europam allatam esse, nec parvam eidem fabulae apud Occidentales perdiu fuisse fidem. Anno autem 1177 in ipsis sollemnibus pacis, inter Fridericum I imperatorem et Alexandrum III papam Venetiis restitutae, Philippus quidam medicus eo audaciae processit, ut pontifici Romano persuaderet, sese in Joannis presbyteri, Indorum regis, provinciis fuisse, ibique de eius in ecclesiam Romanam studio certiorem factum esse; tantamque mendaciis suis fidem attulit, ut Alexander papa non literas solum ad Joannem illum daret, (ap. Benedictum Petroburg. 1178, Mansi Coll. Conc. XXI. 907 cet.) sed etiam ipsum Philippum „legatum a latere“, nimirum idoneo viatico instructum, ad eundem mitteret. Qua de re ut lectores suo iudicio utantur, ex ipsis papae literis, in quibus omnia integritatis signa insunt, capita ista hoc loco ponenda duximus:

„Alexander episcopus, servus servorum dei, carissimo in Christo filio, Joanni, illustri et magnifico

Indorum regi, salutem et apostolicam benedictionem. — Audieramus iam pridem referentibus multis et in fama communi, quomodo, cum sis Christianum nomen professus, piis velis operibus indesinenter intercedere. Sed et dilectus filius, magister Philippus medicus et familiaris noster, qui de intentione pia et proposito tuo cum magnis et honorabilibus viris regni tui se in partibus illis verbum habuisse proponit, sicut vir providus et discretus, circumspectus et prudens, constanter nobis et sollicite retulit, se manifestius ab his audisse, quod tuae voluntatis sit et propositi, catholica et apostolica erudiri disciplina; et ad hoc firmiter intendas, ut tu et terra tuae sublimitati commissa nihil unquam videamini in fide vestra tenere, quod a doctrina sedis apostolicae dissentiat modo quolibet vel discedat. — Illud autem nihilominus ad commendationem tuae virtutis accedit, quod, sicut prudens magister Philippus se a tuis asserit audisse, cuperes habere ecclesiam in Urbe et altare aliquod, ubi viri prudentes de regno tuo manere possent et apostolica plenius instrui disciplina. — Licet autem grave nimis videatur ad praesentiam tuam inter tot labores et varia itineris et locorum discrimina quemlibet a nostro latere destinare, tamen praefatum Philippum medicum et familiarem nostrum ad tuam magnitudinem mittimus. — Rogamus itaque excellentiam regiam, quatinus eundem Philippum, a nostro latere destinatum, debita benignitate recipias et reverenter et devote pertractes. Et si tuae voluntatis est, ut eru-

diaris apostolica disciplina, super his, quae idem Philippus ex nostra tibi parte proponet, ipsum diligenter audias; et personas honestas, et literas tuo sigillo sigillatas, quibus propositum et voluntatem tuam possimus plene cognoscere, ad nos cum ipso transmittatis. — Datum Venetiis in Rivo-alto, quinto Kalendas Octobris.“ —

Chirurgiam saeculo duodecimo in summa esse infelicitate versatam, argumenta haud multa quidem, sed eo grandiora in promptu sunt. Ex quibus sufficiat duo afferre, quae sunt ad rem in luce collocandam aptissima; propterea quod, quum ipsos doceant praestantissimos principes, si iis accidit, ut chirurgorum opis indigerent, ad manifestum fere mortis periculum adductos esse, facillime effici ex iis potest, homo vulgaris praesidium chirurgiae desiderans quanta fuerit miseria praeditus.

Dedo enim II marchio Lusatiae anno 1190 ab Henrico VI Romanorum rege, in Italiam profecturo, ipsum comitari iussus est. Marchio autem, qui propter crassitudinem corporis extimescebat et itineris incommoda et aeris calidi varietates, neque vero regiae obsistere voluntati potuit, infaustum cepit consilium artis medicae contra obesitatem suam invocandae. Nec defuit petenti ars. Repertus enim est medicus (cuius quidem nomen ingrata rerum gestarum memoria posteritati non prodidit), qui quam celerrime marchionem pinguitudine liberavit. Namque incisura abdominis facta, adipem odiosum iamiamque amolitus est! Quid conse-

cutum sit, haud difficile cogitari poterit. Paullo enim post factam operationem marchio die 16. m. Augusti extremum vitae spiritum edidit.

Non fabellam tradidi. Sic enim distincte scriptum est in chronico Montis sereni ed. Eckstein p. 53 ad annum 1190: „Heinricus rex, ducendae uxoris causa ad partes Apuliae profecturus, Dedonem orientalem marchionem secum voluit proficisci. Qui itineris illius asperitatem et aeris qualitatem corpori suo, quia crassus erat, contrariam sciens, pro tollenda intestinorum arvina medico adhibito, ventris incisione mortuus est XVII kal. Septembris et in ecclesia Cillensi, quam ipse fundaverat, est sepultus. Continet autem scriptura, quae anniversarium eius repraesentat, quod oblatus sit pro eo mansus unus beato Petro in sereno monte.“

Jam Sprengelius, qui in suis opusculis academicis, a Julio Rosenbaum Lipsiae et Viennae a. 1844 editis, de illa infelici curatione chirurgica mentionem facit, recte ibidem annotat, scriptorem chronici montis sereni in errore versari, quod Henricum VI Romanorum regem referat anno 1190 uxoris ducendae causa in Apuliam profectum esse. Apud omnes enim pervulgatum esse, Henrici VI et Constantiae, Rogerii I Siciliae regis filiae, nuptias iam anno 1186 d. 27 m. Januarii Mediolani esse in ecclesia S. Ambrosii celebratas, expeditionique Italicae anni 1190 alias subfuisse causas. Etenim Willelmus II rex Siciliae, liberis ex uxore Johanna, Henrici II Angliae regis filia, non susceptis, quum die 17 m. Novembris a. 1189 Panormi supremum diem obiisset,

Siculi, neglecto iureiurando, quod quatuor ante annis et Constantiae et Henrico dederant, ad Tancredum Rogerii, fratris Constantiae, filium nothum summam rerum detulerunt. Quamobrem postquam Henricus Testa, ab Henrico VI rege ineunte anno 1190 in Italiam missus, Apulia potiri nequidquam periclitatus est, ipse rex arma ad recuperandum regnum capienda putavit.

Sed remoto chronici montis sereni additamento illo commentitio, nihil est, quod illi narrationi fidem abrogemus. Quae enim supra ex ea leguntur verba haec: „Continet autem scriptura, quae anniversarium eius repraesentat“ cet., scriptorem abunde demonstrant certa temporibusque illis aequali relatione usum esse.

Dum vero obstupescimus de admirabili illius medici sive audacia sive simplicitate, is qui infra exponetur casus commiserari nos iubet tempora, quibus ipsorum principum medici ne simplicem membrorum amputationem quidem perficere scibant.

Nemo est, qui captivitatem ignoret Richardi, Anglorum regis, ab historicis poetisque iterum atque iterum descriptam et cantatam. Saepenumero enim quum rex ipsum Henricum VI imperatorem et Leopoldum V Austriae ducem tum in itinere Hierosolymitano tum in Palaestina inimicitiis lacessiisset, sub alieno nomine Hierosolyma revertens die 21 m. Decembris a. 1192 prope Vindobonam a Leopoldo duce captus in arcemque Durenstein ad Danubium conclusus est. Non propositum nobis est, hoc loco commemorare, quomodo evenerit, ut Richardus rex tandem d. 4 m. Februarii anni 1194 ab

Henrico imperatore e custodia dimitteretur. Hoc vero annotare debemus, Richardum regem ad redimendam libertatem Leopoldo duci viginti milia marcarum argenti promittere eiusque rei obsides septem relinquere coactum esse. Qui obsides enim nisi fuissent, eventum illud, de quo hic agendum est cuiusque ipsi testes oculati erant, cognitum fere omnino non haberemus.

Compertum quidem nobis est ex patriis chronicis, Leopoldum ducem die 26 m. Decembris a. 1194 lapsu equi quum fracturam cruris accepisset, amputatione facta iam die 31 m. Decembris e vita egressum esse. Neque vero ex iis rem accuratius cognoscimus. Plenissima enim, quae in Ansberti historia de expeditione Friderici imperatoris ed. Dobrowsky (Pragae 1827) p. 122 continetur narratio haec est: „Dux — dum in nativitate domini (25 Dec.) in castro Graze festum ageret et celebrem solempnitatem haberet, sequenti die solempnitatis (26 Dec.) equum durioris cervicis ascendens, obducta glacie parva nive, circumductus, in quo sedebat, cecidit, et licet in variis militiae casibus miles exercitatissimus fuerit, hic tamen infortunatum casum non evasit, quin crus per medium rumperetur, ita quod os et caro rumperetur. Unde cum nullis medicorum experimentis pars illa corpori potuit consolidari, eius gravi urgente dolore et instantissima petitione cogente, pes amputatur. Cum itaque fati inevitabilem necessitatem instare sensit, — intime compunctus obiit III (rectius II) Kalend. Januarii (31 Dec.) anno 1194. Filius autem suus F(ridericus), qui ei successit in Austria, sicut nobilis

haeres patris, sicut etiam ammonitus a patre attentius fuit, obsides detentos abire permisit et pecuniam, quam de rege Angliae acceperat, vel quam adhuc habebat vel quae adhuc solvenda erat, remisit.“ (Cf. Continuat. Cremifan. 1195 ap. Pertz Mon. Germ. hist. Script. IX. 548).

At isti obsides in Angliam reversi, quod ipsi viderant, spectaculum miserrimum Richardo regi uberius retulerunt. Sic enim est in Guilelmi Neubrigensis historia ed. Hearnius (Oxonii 1719) p. 513: „Anno a partu Virginis 1195 ingresso, illustri Anglorum regi post gravium experimenta malorum favor capit arridere divinus. Cum enim plus quamviginti marcarum milia praeparasset, duci Austriae cum multo periculo mature transmittenda, illi, quos eidem duci pro satisfactione summae exactae obsides dederat, repente affuere, habentes mel et lac sub lingua sua: hostem scilicet immanissimum divini pondere iudicii obrutum nunciantes et pro fide nuncii se ipsos cum gaudio ostentantes. Referebant autem cet. — (Dux), de insignis captivi quasi manubiis inclytus, convocatis nobilibus terrae, Dominici natalis solemnitatem (25 Dec. a. 1194) in multa ostentatione et gloria celebrare voluit. Et die quidem primo gloriosus effulsit; in crastino vero (26 Dec.) gloriam deo dedit. Cum enim in natali beati Stephani (26 Dec.) iam pransus exisset, ut in campo cum suis militibus luderet, forte equus eius decidens sessorem quoque dejecit, pedemque eius ita com-

minuit, ut ossa hinc inde confracta, rupta cute, exterius prominerent. Acciti mox medici tantae laesionis curandae sollicitudinem habuere atque adhibuere, quae expedire credebant. In crastino vero (27 Dec.) pes ita denigratus apparuit, ut a medicis incidendus decerneretur. Quod cum ipse prae vitae amore fieri postularet, non est inventus vel medicus, vel familiaris, vel filius, qui hoc patraret. Tandem accitus cubicularius eius, atque ad hoc coactus, dum ipse dux dolabram manu propria tibiae apponeret (!), malleo vibrato vix trina percussione pedem eius abscidit. Medici vero, appositis medicaminibus, cum eum in crastino (28 Dec.) visitarent, signis haud ambiguis mortem esse in ianuis cognoscentes, vultu et voce dixerunt: Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives. Desperans igitur, accitis episcopis, qui ad solemnitatem invitati venerant, in conspectu optimatum a vinculo anathematis, quo eum Romanus innodaverat pontifex petiit relaxari, — absolutionis munus promeruit, moxque obsides regis Anglorum liberari praecepit. Verum cum post modicum, ingravescente molestia, exspirasset cet. (Cf. Rogerium de Hoveden 1195 ap. Savile Rerum Anglicarum Scriptores p. 426).

Nostram sane aetatem, qua vel pauperrimis praesto artificiosa chirurgorum manus est omnisque in operationibus patiendis dolor chloroformii aetherisve ope averti potest, si cum temporibus illis conferimus, qui-

bus princeps potentissimus in tanta curationis cruentae atrocitate dolabram tenere sua manu coactus erat, aliis quidem delegamus huius temporis hominum lugere effeminationem laudibusque medii aevi robur efferre, nos vero non possumus quin nostrorum dierum et humanitate et perfectiore arte chirurgica admodum laetemur. Attamen contra illius apud Guilielmum Neubrigensem et Rogerum Hovedensem narrationis fidem poteris dicere, obsides ad augendam Richardi regis voluptatem inimici acerbitates de industria exasperasse. Ad quae vero respondendum est, relationem illam, quum per ceteras partes patriis relationibus omnino confirmetur, in illis propriis quoque rebus non vanam haberi necesse esse; praetereaque obsides illos, etiamsi de ipso Leopoldo quidem rei actae modum excessissent, eas tamen excogitare res nequivisse, quae non idoneae suis temporibus neque aetatis illius arti chirurgicae consentaneae fuissent, ut, quoque modo sese res habeat, sincera nihilominus illius chirurgiae imago ex illa memoria intelligatur. —

Aptissime hoc loco de singulari quadam mortuorum, quos transvehi longa via necesse erat, tractandorum ratione illis temporibus usitata videntur quaedam addenda esse. Licet enim haec mortuorum corporum curatio non plane ad artem medicam neque chirurgicam pertineat, quandam tamen rationem ad eam habet, utque hic attingatur aeque digna est, ac pollinctura mortuorum apud veteres Aegyptios factitata in universalibus artis medicae historiis perstringi solet. Hoc enim in more

medii aevi positum erat, ut mortuos illos, quo facilius ab ossibus viscera secernerentur, in aqua decoquerent, carneque et intestinis quo loco decesserant sepultis, sola ossa in patriam perferrent. Atque eo libentius de hac consuetudine hic commemoramus, quod ea ansam nobis praebet ad pestilentiae anni 1167 perniciosissimae mentionem faciendam.

Satis notum enim est historiae medii aevi peritis, Fridericum I. imperatorem anno 1167, quum Christianus, archiepiscopus Moguntinus, et Reinaldus, archiepiscopus Coloniensis, die 29 m. Maii prope Tusculum victoriam splendidissimam de Romanis reportassent, mense Julio Romam adiisse, ibique exercitum numerosissimum congregatum esse. Res prosperrime imperatori succedere videbatur. Alexander III enim papa, timore perculsus, Roma relicta Beneventum versus profugerat, iamque die 1 m. Augusti Paschalis III. antipapa Friderico imperatori et eius conjugi Beatrici in ecclesia b. Petri diademata imposuit. Tum subito pernicies tanta Germanos die 2 m. August invasit, ut spatio dierum septem maxima exercitus pars morte periret. Omnes fere illius temporis historiae referunt de atroci hoc tot milium hominum interitu. Digna hic memoratu autem videntur ea, quae Henricus Berchtolgadensis in historia calamitatum Salzburgensis ecclesiae ap. Pez Thesaur. II. III. p. 211. sic scripsit de hac re: „Illico pestilentia subsecuta iram domini ulta est. Nam de terra vapor et nebula consurgens quasi contagione exercitum percussit, tantaque plaga in populo facta est, ut antequam ad

summitatem clivi, ubi lapidibus tota via constrata videtur, pervenirent, centum vel amplius milites subito mortui jacerent; deinde clades universam multitudinem pervagata ultra mille milites prostraverit, quamquam non tam multitudo morientium, quam horror subito corruentium stuporem fecerit. Nam ubi, castris positis, una societas centum ferme loricatorum militum simul discumbebant in tentoriis, qui circa imperatorem proximi et in processione primi esse ante illum solebant, cum omnia tentoria sublata essent et rex in equo sedens miraretur tarditatem illorum, eo quod nullum videret se movere de tanta societate, misit ad requirendum, quidnam hoc esset. Venit nuncius, invenitque equos ad stipites ligatos totamque suppellectilem, sicut sero fuerat composita, iacentem et tam milites quam servientes exanimes factos. Timore percussi omnes et perterriti fugiebant mortem nec evadere potuerunt. Euntes quippe cadebant repente de equis; alii adhuc stantes in terra, cum ascendere equos vellent sani, subito ruebant a tergo deorsum mortui." Godefridus monachus ad 1167 (ap. Freher-Struve Germ. Rer. Scr. I.) tradit haec: „Occubuit tanta episcoporum, abbatum, principum, militum et diversae conditionis virorum multitudo, ut numerum paene excederet; paucissimi enim de exercitu imperatoris redierunt."

Causa perniciosissimae illius pestis sine dubio in ardoribus solis et in coeli gravitate fuit. Nam ut poenam divinitus immissam, quam auctores Friderico adversarii cognosci ex illa strage voluerunt, praetermitta-

mus, plurimi earum rerum auctores consentiunt, ex fervore permagno nebulaque quadam coortam eam esse: Ita enim refert Godefridus monachus 1167, fuisse „cladem et pestilentiam Romanis finibus semper amicam“; in Chronico S. Petri Erford. ap. Menckenium III ad annum 1166 invenimus „nebulam quandam pestilentem et foetidam“; in Chronico Lunebergensi ap. Eccardum I. p. 1392: „Dit gescha in den Ouste (m. Augusto), also de Lude van deme Lande van der heten Sunnen allermeist sek werdet“; Chronographus Siloensis 1167 affirmat, exstitisse „aestum intolerabilem, nebulosam et pestilentem auram“; in Tolosani quoque chronico 1167 ap. Mittarelli Access. Favent. 60 sic scriptum est: „Cunctis de exercitu ex quadam nebula, quae dicitur apud Romam: omnes basabo (?) infectis.“ Memoranda autem sunt haec quoque Ottonis Morenae verba ap. Muratori Rer. Ital. Scr. VI. 1152: „die mercurii proxima (2 Aug.) cum maxima coeli serenitas esset, statim quasi in ictu oculi mirabiliter pluere coepit; deinde post aquam serenitas magna et clara nimis facta est; statimque infirmitas super imperatoris exercitum talis excrevit“ cet.

De decursu huius morbi epidemici, praeter illam necandi festinantiam, nisi perpauca nescimus. Attamen illud exploratum habemus, non universos, in quos ingruerat morbus, succubuisse; quamvis, quibus ut effugerent mortem contigit, eos constet brevi tempore

pristinam valetudinem minime recuperavisse. Memoriae enim tradidit is, quem supra commemoravi, Otto Morena l. l. haec: „Imperator videns gentem suam corruere, versus Tusciam ire coepit. Sed tamen antequam Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his, qui secum fuerant, ipso itinere gladio solummodo dei persierunt. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes infirmati usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt; sed tamen qui evaserunt, per totam hyemem omni colore perdito passi sunt." — Postremo id quoque addendum videtur esse, quod in uno chronico S. Petri Erford. l. l. reperimus, morbum illum homines „migro (an nigro?) quodam charactere inter scapulas apparente examinasse."

Jam ad eam mortuorum tractationem, cuius supra facta mentio est, redeamus. In hac enim prope Romam clade exercitus Germanici singularis cadaverum illo modo curandorum occasio data erat. Diserte narrat Anonymus Weingartensis ap. Hess Monum. Guelf. p. 46, principum et episcoporum, qui ibi decesserant, „ossa, carnibus per excoctionem consumtis, ad propria reducta esse." Similia leguntur in Chronica de Mailros ap. Fell Rer. Angl. Scr. p. 170: „Coloniensis electus exstinctus est, et ut ossa a carnibus disiungerentur et Coloniam deferrentur, totus in aquam coctus est." Neque repugnant ea, quae in Chronico Siloensi 1167 reperis: „Daniel Pragensis episcopus ibidem mortuus est, cuius carnes ibi re-

conditae, sed ossa sunt Pragam delata." Alio quidem neque tamen omnino discrepante modo rem exponit Henricus Berchtolgadensis in historia calamitatum Salzburgensis ecclesiae p. 212, simul terribilem illius prope Romam calamitatis imaginem deformans verbis his: „Cum tanta esset strages in exercitu, multique amicos suos mortuos relinquere in terra hostili erubescerent, cadavera eorum coquere et sale aspergere ac sic secum ad terram patrum suorum reducere cogitabant. Cumque frater quidam fratrem coqueret, alter pro caldario misit summopere rogando, ut sibi mitteretur ad opus simile necessarium, respondit ille: „„fieri non posse eo quod, fratre suo cocto, seipsum prius coqui necesse esset,"" quod et factum est!"

Verum haec cadaverum curandorum ratio non post illam cladem tantum, sed alias etiam saeculo duodecimo saepius adhibebatur. Satis erit demonstrasse, ipsum Fridericum I imperatorem in itinere Hierosolymitano quum anno 1190 submersus in Seleph flumine vivere desiisset, pari modo tractatum esse. „Totum corpus" inquit Benedictus Petroburgensis p. 566 „in frusta sciderunt et carnem eius coxerunt et ossa eius extraxerunt et carnes coctas sepelierunt in Antiochia cum cerebro et visceribus; ossa autem eius secum tulerunt usque ad civitatem Tyri et sepelierunt ea ibi." Legitur item in Chronico montis sereni 1190: „Translatus est autem a militibus in civitatem Seleph, ubi et intestina eius humata sunt, corpus vero Antiochiam delatum ibique eli-

xatum est, et caro quidem in ipsa civitate terrae tradita, ossa vero Spiram reportata et tumulata sunt." Cf. Vinisauf Itinerarium regis Anglorum Richardi ap. Gale Hist. Angl. Scr. II. 266, Rogerum de Hoveden p. 371, Chron. Holland. 1190 cet.

VITA.

Sum Schwersentiae prope Posnaniam natus die 17 m. Februarii a. 1819, fidemque sequor Israelitarum. Primis literis in gymnasio Posnaniensi instructus, historiam in universitate literarum Berolinensi tractabam ab anno 1840 ad 1844.

Librum, praemio ornatum a philosophorum ordine, edidi anno 1843 sic inscriptum: „Geschichte des deutschen Reiches unter Lothar dem Sachsen, Berlin, Veit et Comp." Deinde prodiit anno 1845: „Geschichte des deutschen Reiches unter Conrad dem Dritten, Hannover, Hahn'sche Hofbuchhandlung." Postremo emisi anno 1851: „Regesta pontificum Romanorum, Berolini, Veit et socius."

Medendi artem anno 1850 aggressus sum, partimque Berolini partim Vindobonae haec studia tractabam.

THESES.

1. Variola, Variolois, Varicella non diversi sunt morbi.
2. Syphilis quem correpit, is nunquam certe sanatus haberi potest.
3. Prurigo sanari nequit.